¶ Rñdeť ꝙ phus capit sophistriā ꝑ logica naturali ꝑut est habitus cum quo quis prōptificatur ad discurrēdū physice. Et talis non est scia Aristo. vel doctrinalis: sed est scientia naturalis seu quedā inclinatio nature.

¶ Illud qđ malū ē additū alteri facit ipm peiꝰ. iij. rheto.

Ibi dř ꝙ si illud malū de p se facit ipm peius cui addiť: tūc ipm etiā est malū. Et sic scia nō facit hoīem peiorē: licet hō qñꝙ efficiať peior ꝑpť sciam.

¶ Intellectus est lumen quod a deo infunditur. ibidem.

¶ Ibi dř intellectꝰ capitur improprie ꝑ actu cognoscitiuo.

¶ Illud est melius cuius priuatio est peior. iij. topicorū.

¶ Illa auctoritas nō est simpľr vā. Nā dať instantia de sentire ꝛ intelligere. Nā priuatio huiꝰ qđ est sentire est peior ꝙ̃ priuatio huiꝰ qđ est intelligere. Et tñ in veritate hītus huiꝰ quod est sentire est melior ꝙ̃ habitus huius quod est intelligere. pꝫ: qꝛ ad priuationē sensus sequitur priuatio ītellectꝰ eo ꝙ nihil intelligitur: nisi quod prius fuit in sensu: et etiam priuatio materie prime est peior ꝙ̃ ipsius cōpositi: tñ ipsius non est melior habitus. Rñdetur ꝙ intelligitur vbi vnum non includit aliud.

¶ Idem nō opponitur pluribus. primo peri hermenias.

¶ Uerum est de eadem specie oppositionis vel eodem genere.

¶ Illud qđ oñ siue ꝯcludiť p ipossibile syllogisať. i. prio.

¶ Rñdetur ꝙ hoc est verū sed nō opꝫ ꝙ fiat in eadē figura: ꝛ sic pōt dici ꝙ

propõ vl'is põt syllogisari ostensiue ⁊ ꝑ impossibile: sed nõ est in eadẽ figura: q2 in prima figura bene ostensiue syllogisatur: non aũt per impossibile.

¶ Ignis non est visibilis. author sphere.

¶ Intelligit̃ ſm Marsiliũ sic. Ignis in prima sphera nõ est visibilis: q2 vt sic est maxie ꝑspicuitat; ⁊ subtilitatis: vt p3 q2 astra celi ꝑ ipm vident̃. S3 ignis ẽ visibilis solũ ꝓut est ꝑmixt⁹ ma͞tia aerea: sicut est ignis circa nos.

¶ Intellect⁹ passibilis nõ est in potẽtia passiua. ij. de aĩa.

¶ Intelligitur respectu suarum specierum cũ hoc tñ stat ꝙ ſm se ⁊ absolute consideratus est actus materie.

¶ Idem non est scitum ⁊ opinatum. ij. posteriorũ.

¶ Hoc est verum eodẽ mõ cum hoc tamen stat ꝙ aliquid sit vno mõ scitum. Alio modo opinatum.

¶ Iustitia est habitus mediante quo volumus ⁊ operamur iusta. iiij. ethicorum.

¶ Intelligit̃ de iustitia ꝑfecta. Et ponit̃ solũ in volũtate cũ hoc tñ stat ꝙ iustitia imperfecta sit i sensitiuo. Aliter põt intelligi ꝙ iustitia principaliter ponitur in volũtate: sed secundarie in appetitu: ⁊ nõ oportet ꝙ sensitiuus appetitus velit ſm istam iustitiam.

¶ Idem non agit in corruptionem suiipsius. ij. physi.

¶ In oppositũ videt̃ esse semẽ: q2 forma seminis facit esse corpus aĩatũ ⁊ ꝙcito est corpus aĩatũ tam cito desinit esse forma seminis. ergo semẽ agit ad suiipsius corruptionẽ. Rñdet̃ ꝙ auctoritas intelligitur in sui primaria actione ⁊ ꝑ se: tñ hoc nihil ꝓhibet ꝙ idem ꝑ accidẽs agere põt in sui corruptionẽ: p3: q2 organisatio corporis illa fit a forma seminis vna cum influẽtia corporis celestis: ⁊ tñ qñ illa fit tũc desinit esse forma seminis ⁊ sic semẽ agit de per accidens ad sui corruptionem.

¶ In nobis non est odoratus. ꝯmentator. ij. de anima.

¶ Et sic videt̃ ꝙ nos deficim⁹ in vno sensu. Rñdet̃ ꝙ vult odoratus nõ est ita certus in nobis ſm iudicium iudicandi sicut est in alijs aĩalibus.

¶ Illud quod est difficilis cognitionis spectat ad metaphysicam. primo metaphysice.

¶ Videt̃ sic ꝙ ꝯsiderare de ipa aĩa ꝑtineat ad ipam metaphysi. Rñdet̃ ꝙ sciam de aĩa esse difficilẽ intelligit̃ dupl'r. Uno mõ q̃ ad q̃dditatem aĩe ⁊ talis scĩa est difficilis scđo in ordine ad suas opatiões: ⁊ sic scientia de aĩa est de numero facillimorum: ⁊ primo mõ spectat ad metaphysicũ ⁊ physicum.

¶ Intellectus recipit indifferenter oẽs formas substantiales. per commentatorem. iij. de anima.

¶ Intelligit̃ dupl'r. Uno mõ sic intellectus recipit formal'r oẽs formas materiales. ⁊ sic est falsa. Alio mõ intelligit̃ ſm spẽm: ⁊ tunc sensus ei⁹ est: ꝙ intellectus recipit indifferenter spẽs oĩum rerũ formarũ materialium.

¶ In ꝑpetuis non est potentia. ix. meta.

¶ Et videtur non in pura potentia q̃ est contra pħm. tertio de aĩa. Rñdetur ꝙ intelligit dictum suum de potentia contradictionis sic ꝙ in eternis siue in perpetuis non est potentia contradictionis.

Dicta egregia philoso.

¶ Intelligere nō est motus ꝯm sanctū Thomam.

¶ Intelligitur sic intelligere nō est motus.i. actus imperfectus inquātum est actus entis existentis in actu formali.

¶ Indiuisibile nō pōt esse quale. primo physicorum.

¶ Et videtur ꝙ intellectus nō potest esse informat⁹ sciētijs ꝛ virtutib⁹. Respondetur ꝙ verū est ꝙ indiuisibile non potest esse quale qualitate corporali sicut est caliditas ꝛ frigiditas. Sed pōt esse quale qualitate spirituali. et hoc non est inconueniens.

¶ Indiuisibile ad quodcūqꝫ se diuertit totaliter se diuertit. tertio de anima.

¶ Illa authoritas dupliciter intelligitur. Uno mō sic īdiuisibile ad quodcūqꝫ se diuertit.i. ꝙ indiuisibile nō est ꝯm vnā partē in vno sed ꝯm aliā in alio. et sic simpliciter est vera. qꝛ indiuisibile non hꝫ ptes. Alio mō sic. indiuisibile quocūqꝫ se diuertit.i. ꝯm quālibet partē se diuertit. ꝛ sic tūc authoritas est falsa eo ꝙ p̄supponit indiuisibile habere partes qd̄ nō est verum.

¶ Idem corruptum in numero nō reuerti potest. secūdo de generatione. ꝛ secundo de anima.

¶ Ubi dicit ꝙ aīalia mortua surgere nō est possibile. Intelligitur sic. quādo est facta separatio forme substantialis a corpore tunc dicitur idē corruptum non potest reuerti in numero sub eadē materia in numero. ꝛ hoc stando via naturali. tamen ad esse sui bene potest.

¶ Illa q̄ differūt numero ꝛ specie nō sūt vnum. ij. de aīa.

¶ Intelligitur sic. vnū nō est reliquū. ꝛ sic est simpliciter vera. Alio mō intelligitur ꝙ nō sunt vnū.i. nō sunt vnū tertiū. ꝛ sic est falsa. quia materia ꝛ forma differūt specie ꝛ numero. ꝛ tamē sunt vnū tertiū scꝫ compositū.

¶ Intelligentie non sciuntur nisi per motū.

¶ Ibi dicitur ꝙ ꝓprie loquēdo intelligentie nō sciuntur per motū. sed capiendo scire generaliter tunc bene sciuntur per motū.

¶ Intellect⁹ diuin⁹ speculatur oīa. p Boe. v. de ꝯsolatiōe.

¶ Et per cōsequēs videtur ꝙ intellect⁹ diuinus speculetur phātasmata. consequēs est falsum ꝛ cōtra philosophū: duodecimo metaphysice. Ubi dicit. intellectus diuinus est pure actiuus. Illa authoritas intelligitur dupliciter. Uno modo obiectiue. Alio modo instrumētaliter. Respōdetur ergo ꝙ intellectus diuinus intelligit phātasmata obiectiue et non instrumētaliter. et hoc vult Boetius.

¶ Inter accidentia nō est ordo. iiij. metaphysice.

¶ Et si sic sequeretur ꝙ metaphysica nō esset prior alijs sciētijs eo ꝙ sciētia est accidens. cuius oppositū patet in ꝓemio metaphysi.

Pro quo notandū ꝙ aliqui dicūt inquantum nō sunt in subiecto tūc nō est ordo inter accidētia. Sed loquēdo de accidētibus in quantum in subiecto sunt tunc inter ea est ordo. eo ꝙ tūc vnū dependet ab alio.

¶ Illud quod p̄dicatur de plurib⁹ ī quid ꝛ in plus difficulter est absoluere quin sit gen⁹. iij. meta. ꝛ. iij. topicorum.

¶ Intelligit illud qd predicat de pluribus vniuoce ſm vnū nomen et eandem ratione in quid difficulter eſt abſoluere quin ſit genus.

¶ Inter viſibile debet cadere diaphanū. ſecundo de aīa

¶ Intelligit ſ; Egidiū de viſu exteriori. nō āt de īteriori ſicͤ eſt ſenſus cōis.

¶ Ignis eſt principiū augmētationis. ibidem.

Intelligit ſic. ignis. i. calor naturał ē pncipiū. ſ. īſtrumētale augmētatōis.

¶ Illarū eſt pdicatio immediata in qua termin⁹ vni⁹ predicamenti predicatur de termino alterius predicamenti primo poſteriorum.

¶ Intelligit ꝙ talis pdicatio nō ē eſſentialis ſ; accidentał vel diſparata.

¶ Idem non reducit ſe de potētia ad actū. ix. metaphy. et ſecundo de anima.

¶ Intelligit ꝙ idē nō pōt eſſe totale agens ⁊ totale patiēs. vel ſic nullum idē reducit ſe de potētia eſſentiali ad actū eſſētialē. q2 hoc ē impoſſibile qn̄ aliqd nō eſſet ⁊ faceret ſeipm. Et intelligit de ꝟtute ꝓpria. quia de virtute aliena reducit ſe de potentia ad actū. vt patet de intellectu.

¶ Idem non eſt agens ⁊ patiens. ix. metaphyſi.

¶ Intelligitur reſpectu eiuſdem.

¶ Intellectus eſt potentia libera. tertio de anima.

¶ Intelligit quo ad ſcdam ⁊ tertiā operationes q̄ ſunt diuidere vel cōponere. ſed quo ad primam operationē. ſ. quo ad ſimplicium apprehēſionē tūc non eſt poſſibile.

¶ Intellect⁹ ē denudat⁹ ab oī eo quod itelligit. iij. de aīa

Et ſic videt ꝙ non pōt intelligere ſeipm. Rn̄detur ꝙ intelligit dūmodo intelligit directe per ſpecies ꝓprias ⁊ diſtinctas. ⁊ nō dū intelligit per ſpecies reflexas reflexe ⁊ alienas. ⁊ illo modo intelligit ſeipſum.

¶ Intellect⁹ ⁊ intelligibile debēt eſſe ꝓportionata. ibidē

¶ Uerum eſt ſm quandā aſſimulationē vel ſm rationē intelligibilis. non autem ſm rationē quantitatis.

¶ Intellectus humanus habet materiā. xij. metaphyſi.

¶ Intelligit ſm thomā ⁊ buridanū ſic. i. hn̄t in ſe quandā virtutē receptiuā ſpecierū materialiū. Uel ſic dr. ꝙ ꝑ materiā intelligit aliquā opationē ꝑ quā intellect⁹ human⁹ differt ab intellectu diuīo. ⁊ ſic dicit albert⁹ ꝙ oēs res vltra deū habēt materiā vel aliquid ꝓportionale materie.

¶ Intellectus eſt ſeparatus a corpore. iij. de anima.

¶ Intelligit. i. nō eſt alligatus aliquo organo corporeo.

¶ Infinito nihil eſt maius. iij. phyſicorū.

¶ Intelligit de infinito quo ad extenſionē. quia illo modo nihil poteſt eſſe maius quo ad quantitatē.

¶ Idē non eſt cauſa oppoſitorum. ij. phyſicorū.

¶ Intelligit idē agēs particulare non eſt eque primo cauſa oppoſitorum ſpecifice diſtinctorum. dicitur particulare propter agēs vniuerſale. vt de⁹ vel ſol. Dicit eque primo. q2 idē bn̄ poteſt eſſe cauſa vnius per pri⁹: ⁊ alteri

us per posterius &c. Dicit specifice distinctorū. qꝛ pater habens filiū est cā oppositorū qꝛ prīs & filij. qꝛ quicqd est causa cause est causa causati. vt patet scdo physicorū. Sed loquēdo de oppositis priuatiue vel cōtradictorie tunc nō est necesse vt addat specifice distinctorū.

¶ In multiplicibus vel equiuocis diuisio debet precedere diffinitionem. in libro diuisionum.

¶ Intelligit qn̄ tale equiuocū diuidit in sua equiuocata. sed quando non tunc non est necesse.

¶ Idem nō mouetur sursum & deorsum. vi. topicorum.

¶ Intelligit nō per se sed bn̄ per accidēs. qꝛ idē bene potest moueri sursu3 et deorsum. vt patet de anima in manu & pede existente.

¶ Ignis aqua terra aer sūt ex se idē. primo metheoro.

¶ Intelligitur fm suas partes & nō fm suum totum.

¶ Intellect9 ē potētia irrationalis voluntas vero rationalis. ix. metaphy.

¶ Intelligit sic ꝙ intellect9 nō est potētia libera. qꝛ nō pōt intelligere vniuersa: voluntas est potentia libera quia potest nō veris assentire.

¶ In mathematica nō est finis. iij. metaphysi.

¶ Intelligit ꝙ demōstratio mathematicalis nō habet causam finalem licet habet causam materialem.

¶ Ignis in sua sphera corrūpitur. vt inquit Egidius.

¶ Et licet ipi nō pōt applicari ꝯtrariū formaliter eo ꝙ aq̄ non ascēdit 3 tn̄ pōt sibi applicari ꝟtualiter. qꝛ ignis pōt cōsiderari aliquo mō ꝓ stellationem frigidā. & si sic tūc descēdit. qꝛ graue mouet deorsum. & sic per talē modum corrūpit ignis. Qn̄ ignis nō est corruptibil naturaliter loquendo fm se totū sed solū fm partes: tn̄ per potentiā diuinā potest corrumpi.

¶ Intellectus sequitur rē intelligendo. iij. de anima.

¶ Intelligit de intelligendo aliquo simplici cōceptu & nō discursiuo.

¶ Impossibile est indigētē bona operari. primo ethico.

¶ In infortunijs virtus relucet. ibidem.

¶ In obscuris oportet vti apertis testimonijs. ij. ethico.

¶ In frequēti cognoscit habitus. tertio ethicorū.

¶ Jactator maxime est vituperandus. iiij. ethicorū.

¶ Juuenis nō potest esse sapiens. quia prudentia requirit experientiam q̄ indiget tempore. vi. ethicorum.

¶ Impossibile est prudentē non esse bonum. ibidem.

¶ In infortunijs refugiendū est ad amicos. viij. ethico.

¶ In actibus humanis minus creditur sermonib9 q̄3 operibus. x. ethicorum.

¶ Impossibile est indigentē bene principari & studio vacare. secundo politicorū.

¶ In ciuitate sunt tres species. sc3 diuites pauperes me

diocres inter quos optimi sunt mediocres. qꝛ semp̄ medium est optimum. ij. politico.
¶ In magnis negocijs opꝫ vnū ordinari ad vnū corp⁹ qꝛ melior ē cura q̄ intēta est circa vnū ꝙ circa pl⁹. iiij. politi.
¶ Iuuenū coitus est malus ꝛ prauus ad puerorū pcreationem. similiter ꝛ senum. vi. politico.
¶ Iuuenes custodiendi sunt vt nō dicant aut audiāt aliquid turpe. qꝛ ex dicere aut audire aliquid turpe sepe facere contingit. idē ibidem.
¶ Iustius est auxiliari pauperi. primo rheto.
¶ Ira est appetitus cum tristitia propter apparentiā sui ipsius vel suorum. secundo rheto.
¶ Ira est factiua inimicitie ꝛ odij. ibidem.
¶ Infirmi coeuntes bellantes ꝛ amātes sitientes ꝛ vniuersaliter aliquid desiderantes ꝛ nō assequētes illi de facili irascuntur. ij. rheto.
¶ In quolibet genere. id est in qualibet cōgregatiōe est dare aliquid bonū. Et licet in ea inueniunť aliqua mala. in secundo libro poetrie Aristotelis.
¶ Inferiora a supiorib⁹ reguntť. in li. d̄ regimie pricipū.
¶ Initiū salutis est noticia prima. ibidem.
¶ Ille est beatissimus ꝛ securus possessor sui qui sine sollicitudine expectat. ibidem.
¶ Ille nō tollit mun⁹ gratis q̄ cū rogasset accipit qꝛ optimū est p̄uenire desideriū rogātis. Seneca de beneficijs.
¶ Ingratus est ille qui se beneficiū accepisse negat quod accepit. ibidem.
¶ In dando beneficia eligēdus est vir simplex ꝛ integer memor ꝛ gratus alicui abstinens. id est nō auarus vt Seneca de maxime beniuolis. ibidē.
¶ In omni tractatu fieri decet vt inter initia cōsideretur quid sit de quo agitur. Plato in Tymeo.
¶ Illud quod est simplex ꝯm se immobile a nullo pōt moueri. in libro de moribus animaliū.
¶ In ossib⁹ leonū ꝛ porcorū modica vel nulla est medulla. in secundo libro de histor ijs animaliū.
¶ In omnibus animalibus est appetitus coitus. in libro

sexto de historijs animalium.

¶ Inter animalia longissime vite est homo ⁊ elephas. in libro de longitudine et breuitate vite.

¶ In bonis exterioribus non est felicitas qꝛ ipse felix nullo bono exteriori indiget. vij. politico.

¶ Inter oia aialia solus hō habet rōnem. vij. politicorū.

¶ Intellectus nihil aliud est ꝙ humanum corpus diuini spiritus pars immensa. vij. politico.

¶ In omnibus rebus auxilium debet implorari: inuocandus eni est pater omnium rerum quo pretermisso nullum rite fundatur exordium. iij. de consolatione.

¶ In plantis est vna anima in actu: plures vero in potentia ⁊ ideo pars earum abscise viuunt. ij. de anima.

Lumen non est corpus. ij. de anima.

¶ Intelligitur lumē non est corpus substantiale. Sed bene est corpus quātificatū concretiue vel lumen non est corpus resolutum a corpore lucido. Uel sic lumen non est corpus extensū seu extensiue siue extensione propria.

¶ Lumen non est reflexio corporū: sed corporis. ⁊ ibidē.

¶ Uerum non est lumen reflexio corpoꝝ resolutorum athomaliuz ab alio corpore: sicut dixit Empedocles.

¶ Locus a coniugatis non valet nisi in terminis quantificatiuis. per regulam topicalem.

¶ Quia non sequitur actio est passio. ergo agens est patiens. Sed bene sequitur albedo est color ergo album est coloratum.

¶ Logica est sciētia speculatiua. ꝑ ɔmētatorē. iij. meta.

¶ Intelligit̃ sic ꝙ logica vtens est habitus quo vtimur in scientijs speculatiuis puta in scientia metaphysicali.

¶ Locus cōmunis est qui continet omnia. iiij. physicoꝝ.

¶ Intelligitur qui continet omnia a se: ꝓpter celum qḋ ɔtinet omnia non tamen seipsum.

¶ Locus non est in locato. ibidem.

¶ Id est non est de rōne loci ꝙ sit in locato per se: sed bene per accidens.

¶ Locus est equalis locato ibidem.

¶ Uerum est de loco proprio non autem de loco communi.

¶ Loco termini descripti licet qn̄qꝫ vti descriptione. septimo physi. ⁊ septimo metaphysi.

¶ Intelligit̃ ꝙ loco descriptiōis ꝗdditatiue licet vti termino diffinitiuo.

¶ Littera ⁊ syllaba carent sensu. Priscian⁹ ꝑmi minoris

¶ Intelligitur carent sensu.i. significatione vltima non tamen sic q non essent sensu exteriori perceptibiles.

Lapides sũt maxie fortũati ex qb⁹ fiũt altaria.iij.physi.

¶ Intelligitur silitudinarie et metaphorice: qr sicut homies pmoti ad dignitates et honores dicunt fortunati: sic etiam lapides qñ ornant pannis preciosis et alijs ornamentis dicuntur fortunati. et hoc improprie.

¶ Laus est sermo elucidãs necessariũ virtutũ.i.rheto.

¶ Logica est scientia veri falsiq3 idagatrix. Boetius de disciplina scholarium.

¶ Loc⁹ medius ẽ loc⁹ pricipãtis.in de iuuẽtute et senec.

¶ Lupus gulosus cõedit sine masticatiõe: et tñ vno tpe q sufficit ipsi ad tres dies.in lib.v.de historijs animaliũ.

¶ Luna est infim⁹ planeta: sine luna mercuri⁹: sine mercurio ven⁹: sine venere sol: sine sole mars: sine marte iupiter: sine ioue saturnus: sine saturno oia alia orbis stellarum.in libro de proprietatibus elementorum.

¶ Linguam habet aial vt cõicet aliquid alteri.iij.de aia.

¶ Laus et gratiarum actio debentur danti et non accipienti.iiij.ethicorum.

¶ Lex prohibet seipsum interficere.v.ethicorum.

¶ Itẽ oẽs ille auctoritates ĩcipiẽtes ab illa laus est fmo sunt simplr ve.

Materia non est ens.primo physicorum.

¶ Intelligit sic materia pria nõ ẽ ens in actu forali subali cuz hoc tñ stat bñ q sit ens deriuatũ q ad esse sic est in rerũ natura.

¶ Motus et tempus sunt infinita.vi.physicorũ.

¶ Intelligitur sic q capiẽdo ly infinitũ sincathego. sic q ly motus et tempus stant confuse tñ. Alio modo concedunt fm successionem et potentiaz sic q motus fm successionem est infinitus.

¶ Motis nobis mouentur omnia que in nobis sunt.vi.physi.et.ij.topicorum.

¶ Intelligit p se vl p accñs inhesiue vel pmanẽter: dr per se ppter aiam. Dr inhesiue ppt deũ. dr pmanẽter ppter motũ qui mouet fm successionẽ.

¶ Materia nec est quid nec quale nec quantũ.vij.meta.

¶ Intelligitur materia prima fm se nec est quid.i.hoc aliquid: qr hoc aliquid est substantia per se existẽs. nec est quale.i.fm suam essentiam non est qualis fm aliquam qualitatem per se et proprie: nec est quantum.i.non est quanta quantitate continua.

¶ Materia prima est mediũ inter esse et non esse.i.physi.

¶ Sed hoc videtur falsum: qr si sic sequeretur q inter duo contradictoria esset dare medium. Respõdet q sic intelligit q materia pria est medium

inter esse simpliciter et inter nõ esse in actu formali substantiali. mõ esse simpliciter et non esse in actu formali substantiali non sunt cõtradictoria. et per consequens instantia non habet locum.

¶ Materia pria gñatur p accidẽs. commẽtator. i. physi.
¶ Intelligitur per accidens. i. ẽm quid.

¶ Materia prima in rei veritate gñatur. i. physi.
¶ Respõdetur q verũ est subiectiue. sic q incipit esse subiectũ forme. non autẽ generatur terminatiue.

¶ Mẽsura et mẽsuratũ debẽt esse homogenia. xij. meta.
¶ Intelligit de illis q̃ mẽsurantur de se inuicẽ ẽm certã pportionẽ. et nõ de illis q̃ mẽsurant de se inuicẽ ẽm diffinitionẽ in partes equales.

¶ Malum entis destruit seipsum.
¶ Et videt velle q malicia nominaliter sit aliqd: qd est tñ cõtra phm. ij. de aĩa. Illa dupl'r intelligit. Uno mõ cditionalit vt sic si maluz entis esset tũc destrueret seipm. i. malũ entis sigt destructionẽ suijpsius. Alio mõ sic itelligit. malũ entis destruit seipm. q2 ad malũ sequit destructio suijpsius entis et si di. tũc idẽ destruit seipm. hoc est verũ p accidẽs nõ aũt per se.

¶ Melius est pauperẽ ditari q̃ philosophari. iij. topi.
¶ Intelligit dupliciẽ. Uno modo indigentia quo ad corpus. nõ autẽ quo ad animã melius est philosophari. Alio modo sic intelligit. meli9 est pauperẽ ditari q̃ philosophari. i. intellectũ ignarũ ditari sibi per alios primo et in principio q̃ philosophari. i. studere philosophiam. Q2 philosophus nõ põt haberi sine artibus et principaliter sine logica. quia illa est via et semita dirigens ad oẽs scientias.

¶ Materia prima primo recipit formã vniuersalẽ. deinde minus vniuersalem. cõmẽtator. xij. metaphysi.
¶ Rñdetur q sic intelligit. q materia prima primo recipit formas vniuersales. id est dispositiones accidẽtales. pro forma introducẽda. et postea minus vniuersalem. id est formã mixti et cõpositi.

¶ Mouens debet esse simul cũ moto. vij. physico.
¶ Uerum est de mouente naturali propinquo immediato hoc dz esse simul tpe cũ moto. q2 nunq̃ mouẽs est simul cũ moto ẽm locũ. q2 si sic tũc sequeretur q duo corpora essent simul in eodẽ loco qd est impossibile.

¶ Materia remanet in re facta. priuatio vero nõ. i. phy.
¶ Intelligit q materia remanet in re facta sub illa materia. Sed priuatione forme adueniente nõ manet sub illa rõne vel denoĩatione. Et est sciendũ q illa est falsa. materia est priuatio forme. q2 negatio inclusa in illo termino priuatio pcedit ly forme. et sic distribuit eũ. Et si di. tunc sensus ẽ. materia cuiuslibet forme est priuatio. mõ illa est falsa. et ergo omnes tales ppositiones sunt negande. materia caret forma. materia priuat forma. Sz ille sunt concedẽde. materia forma caret. et materia forma priuat. sic q ly forma stat determinate.

¶ Mot9 in q̃titate dr augmẽtatio vl' diminutio. v. phy.

¶ Intelligit quod motus est ad quantitatem proprie. quia necesse est variare responsiones terminorum de predicamento quantitatis propter ipsum motum.

¶ Materia prima nunquam est sine morpheis passionibus.
¶ Intelligit quod materia prima nunquam est sine formis substantialibus sive accidentalibus. vt patet secundo de anima.

¶ Materia prima non est. primo physicorum.
¶ Intelligit materia prima non est in actu formali. quia materia prima non est forma cum hoc stat tamen quod materia prima sit in actu potentie vel essentie.

Magis et minus non diversificant vnam speciem maximam .ij. top.
¶ Intelligit de specie essentiali sic quod magis et minus non diversificant speciem essentialem sed bene accidentalem.

¶ Medium componitur ex extremis. v. physicorum.
¶ Intelligit de oppositione similitudinaria. i. quod medium in aliquo gerit similitudinem vnius extremi et in alio alterius extremi.

¶ Minimo non potest dari minus. primo physico.
¶ Intelligit in sensu composito. vt sic non minimo possibile est dare minus.

¶ Materia prima non est in potentia ad formam. per commentatorem et philosophum. v. metaphysice.
¶ Intelligit de potentia activa et instrumentali. et non de potentia principali.

¶ Magnitudo et multitudo non sunt accidentia quantitatis. quinto metaphysice.
¶ Intelligit capiendo ea respective tunc non sunt species quantitatis: sed capiendo ea absolute. tunc sunt species quantitatis.

¶ Mundus est eternus. vi. physico. et. xij. metaphysice.
¶ Intelligit non absolute. quia si sic tunc esset contra fidem. Sed vult Aristo. quod rationibus naturalibus non potest aliter ostendi nisi quod mundus sit eternus.

¶ Minus bonum coniunctum alteri facit ipsum magis bonum: primo ethicorum.
¶ Et sic sequeretur quod corpus animatum esset nobilius ipsa anima. Intelligit dummodo vnum bonum non includit aliud propter deum qui est infinitus.

¶ Manifestum est quod deus non habet genus nec qualitatem nec quantitatem. per Avicenam.
¶ Et vult quod ille terminus deus non est substantia nec terminus substantialis. Unde nota substantia capitur dupliciter. Uno modo vt non dicitur a substando. et illo modo deus non habet genus. et hoc intendit Aristo. Alio modo substantia dicitur a per se stare vel a per se stando. et illo modo habet deus genus. etiam ly deus est terminus substantialis in predicamento substantie ponibilis vt idem Avicena dicit nono metaphysice quod deus non est contentus sub genere nec sub diffinitione nec sub demonstratione substantie. Sed est expers qualitatis et quantitatis et quidditatis vel nec est aliquod sibi simile nec secum conveniendum. Et dicit beatus Augu. quod deus non est substantia. vt di. Boetius quod relictis extremis incidit in medium. i. in substantias compositas. Etiam Albertus magnus dicit deus non est in genere substantie nisi supra genus. et themistius dicit termini significantes substantias sive essentias simplices non sunt

in gñe predicamẽtali. Pro illis auctoritatibus est sciẽdũ q ly substantia potest esse imposita ad significandũ dupl'r. Uno mõ vt solum significat eẽntiam que esset subiecta accidentibus. Et sic dicit a substãdo: ꝛ si ly substantia illo mõ esset imposita ꝛ caperet ꝑ gñalissimo substantie: tunc staret auctoritas in veritate. Alio mõ põt esse imposita nõ solũ vt significat rẽ subsistentẽ accidentibꝰ: sed indifferenter quãlibet rem ꝑ se existentem nõ curãdo an illa res accidentiũ sit subiectum aut non: ꝛ si ly subã esset illo modo imposita ad significandũ. ꝛ esset genus in pdicamẽto substantie tũc auctoritas nõ haberet veritatẽ. Et rñdetur quo ad oĩs auctoritates sub distinctione: qꝛ si ly substantia capit primo modo tunc ꝓcedunt auctoritates: ꝛ hoc idem intendunt. Si autem secundo modo tunc nõ sunt cõtra illos tenẽtes q deus sit terminus predicamentalis.

¶ Materia prima appetit formam sicut femina virum: turpe bonum. primo physicorum.

¶ Intelligitur de appetitu materiali ꝛ non animali. Uel sic materia prima appetit formam. i. perfici a forma.

¶ Motus est tempus. iiij. physicorum.

¶ Respondetur q philosophus vult q illa non est predicatio essentialis sed accidentalis vt etiam hic homo est risibilis.

¶ Materia prima nullius est actiuitatis. i. physicorum.

¶ Intelligitur affirmatiue ꝛ ꝑ se cũ hoc tñ bene stat q sit alicuius actiuitatis coactiue: qꝛ materia prima non agit ꝑ se. sed bene coniuncta formis.

¶ Materia prima est sine formis. i. de generatione.

¶ Intelligit quãtũ est de per se tunc est sine formis. i. nullã certaꝫ formam determinat cũ hoc tñ stat q habeat formã in potentia.

¶ Materia nõ est in potentia ad formã gñandã. i. physi.

¶ Intelligitur de potentia instrumentali nõ autem principali.

¶ Materia manẽte vna potẽtie ei fiunt multe. ꝯmẽ. ibi.

¶ Intelligit ſm Marsiliuꝫ sic q de materia predicant vere plura predicata potentionalia. Uel dicatur q loquitur de potentia instrumentali eo q sunt multe dispositiões accidentales habilitantes ꝛ disponentes ipam materiam ad formam recipiendam.

¶ Metaphysicus et dyalecticus considerãt circa vnum subiectum reale.

¶ Et si dĩ. q logica sit scientia realis. Rñdet q ꝑ dyalecticam nõ intelligit logicã docentẽ: sed vtentẽ que versatur circa oẽm scientiã eo q logica vtens de per se non habet aliquas conclusiones.

¶ Medium ꝓmouet ipsum motum. iiij. celi.

¶ In oppositũ est phs. iiij. physi. vbi dicit q mediũ est resistẽtia successiue ꝛ ꝑ ꝯñs est ĩpedimẽtũ motꝰ. ¶ Rñdet q auctoritas. iiij. celi. Intelligit. s. qñ mediũ est subtile: ꝛ sic ꝑ accñs ꝓmouet motũ. s. rõne ꝺitatis ꝛ vtilitatis. Sꝫ de ꝑ se mediũ semꝑ resistit motui eo q in esse appetit esse indiuisum.

¶ Mensura debet esse quid minimum. xij. metaphysice.

¶ Rñdetur ꝙ intelligitur quo ad ſufficientiam notificationis.i.ꝙ non vꝫ deficere ad minimum in notificatione menſurati.

¶ Motus circularis celi eſt primus motuum.viij.phyſi.

¶ Intelligitur eſt primus motuum.i.lõgiſſimus motuum. Vel ſic eſt primus motuum.i.perfectiſſimus motuum.

¶ Metaphyſica eſt de oĩbus entibus mundi.i.phyſi. Intelligit̃ q̃ ad q̃dditatẽ eoꝝ ex q̃ metaphy. res ꝯſiderat ſub rõe q̃dditatꝭ.

¶ Metaphyſica ẽ ſcia nobiliſſima ⁊ difficillima. i. meta.

¶ Intelligit̃ nõ excluſiue ꝙ ſolius metaphyſici ſit ꝯſiderare difficillima: ſed etiam alterius artificis.. Sed vult ꝙ principaliter ſolius metaphyſici ſit conſiderare difficillima.

¶ Melius eſt habere aĩam habentem ſcientiam q̃ȝ habitum corporis. Seneca ad alexandrum.

¶ Melius eſt mori q̃ȝ facere ꝯtra bonũ virtutis.iij.ethi.

¶ Medicine fiunt per contraria.ij.ethicorum.

¶ Malum eſt facere facile: bonum aũt difficile. ibidem.

¶ Medium in omnibus rebus eſt laudabile.ij. ethicoꝝ.

¶ Minus malũ eſt eligibilius magis malo.v.ethi.

¶ Maximũ bonorũ exteriorũꝫ eſt honor. iij. ethicorum.

¶ Maior amicitia exiſtẽs bonũ vtile maxie videt̃ fieri in ſenib⁹: q2 tales nõ curãt delectabile ſed tm̃ vtile.vi.ethi.

¶ Matres plus amãt filios q̃ȝ patres: q2 certiores ſũt de eis et plures labores habent circa eos.vi.ethi.

¶ Maioribus datur honor: minoribus auteꝫ lucrum: q2 honor eſt tributio virtutis ⁊ beneficij: lucrum autem eſt auxilium indigentie. octauo ethicorum.

¶ Magiſtris dijs ⁊ parentib⁹ nemo poteſt reddere equiualens.nono ethicorum.

¶ Magis tenemur amicis largiri bona q̃ȝ extraneis.ibi.

¶ Melius eſt cum amicis ⁊ parentibus q̃ȝ cum extraneis ⁊ quibuſcunq̃ȝ cõmorari.ibidem.

¶ Multo grauius aliquis fert ſi honore priuatur q̃ȝ ſi bona ſua auferantur.vi.econo.

¶ Maſculinũ genus dignius eſt feminino.primo politi.

¶ Melius eſt iudicare ſm̃ leges ⁊ litteras q̃ȝ ſm̃ propriã ſententiam.ij.politico.

¶ Multi ſerui q̃ñq̃ȝ deterius ſuiunt paucioribus.ibidẽ.

¶ Melius eſt ciuitatem regi ab vno optimo viro q̃ȝ ab vna optima lege.iij.politicorum.

Dicta egregia philoso.

¶ Maximū fortuniū ē oēs ciues mediocrē substātiā hr̄e tanq̄ sufficientē eis: q2 p tales bn̄ regit ciuitas. iiij. poli.
¶ Minores vt fiant equales faciunt seditiōes: equales vero vt fiant minores. v. politico.
¶ Mors est recessus aie a corpe. i lib. de pomo ꝛ morte.
¶ Mōstro silis est auaritia. Seneca in lib. de moribus.
¶ Mihi crede auarus nō pōt esse diues nec felix. ibidem
¶ Multo plus pdest si pauca precepta sapientie teneas Et illa prompte ꝛ in vsu tibi sint q̄ si multa disceres ꝛ illa non habeas in animo. Seneca de beneficijs.
¶ Mali puniti feliciores sunt q̄ impuniti: q2 pena bona est ratione iustitie. iij. de consolatione.
¶ Mācipioꝝ raro ē clemētia. Boe. in de disciplina scho.
¶ Miserum est eum esse magistrū qui nunq̄ nouit se esse discipulum. ibidem.
¶ Musica valet ad recreationē ꝛ ad delectationē ꝛ ideo pueris bene valet studere in musica. viij. politico.
¶ Magne ciuitates sunt plus q̄ parue. v. politi.
¶ Masculi si nō coeūt sunt lōgiores vite femellis: q2 masculꝰ ē calidior femia. i de cā lōgitudis ꝛ breuitatis vite.
¶ Mutatio vocis est signum motus ad coitum. in quarto libro de historijs aialium.
¶ Mulier maioris est pietatis ꝛ compassionis q̄ vir: sed est maioris inuidie ꝛ diligit lites ꝛ de facili decipit. viij. libro de historia animalium.
¶ Menstruuz in mulieribus cessat in quadragesimo anno. In aliquibꝰ aūt manet vsq3 ad quiq̄gesimū ānū: ꝛ iō vetule antique sunt barbate. ix. lib. de historijs aialium.
¶ Moderati ditati nō minus agunt. Uñ dicit Salomō moderati ditati sunt felices. ix. ethicorum.
¶ Meretrix est nonaria inferni ianua via iniq̄tatis scorpionis pcussio viscarius sceleris puteus interitus. Boe. in de disciplina scholarium.
¶ Melior est iustitia regnātis q̄ felicitas tpis ipsiꝰ subditis. in de regimine principum.
¶ Multo grauius est male dedisse beneficium q̄ non dedisse. Seneca de beneficijs.

Ordine Alphabetico.

Nihil agit vltra gradū sue pfectiōis. vij. meta.
¶ Verum est non concurrente aliquo agente nobiliori: vt premisse causant cōclusionem: modo notitia conclusionū est perfectior notitia premissarū: q2 cōclusio ratiōe demōstrationis scitur demonstratiue. Sed premisse sciuntur per experientiam ⁊ auctoritatem: sed ad hoc cōcurrit agens nobilius sc3 intellectus: ⁊ sic non est inconueniens: ꝙ premisse agunt vltra gradum sue perfectionis.

¶ Non existētibus primis substantijs impossibile est aliquod aliorum remanere. in predicamentis.
¶ Intelligitur in sensu cōposito: vt sic īpossibile est nō existētib9 primis substātijs aliqđ aliorꝫ remanere: ⁊ sic tūc intelligitur dupl'r. Vno mō de reb9: sic impossibile est: sic nō sunt res sīgte ꝑ ipsam subam actu vel aptitudine nō pōt aliquod aliorꝫ remanere. Alio mō intelligitur ad sensum logicalē: vt impossibile est: si due substātie. i. si termini singulares significantes res singulares substātiales non sunt apte nate ꝓ aliquo supponere: ꝙ termini cōes substantiales accidentales ꝓ aliquo supponant.

¶ Nec animal dicis esse hoiem. per Porphirium.
¶ Illa auctoritas intelligitur ꝙ illa predicatio animal est homo non est directa eo ꝙ inferius predicatur de suo superiori.

¶ Nomina ⁊ verba ſm se similia sunt. i. peri her.
¶ Intelligitur vno mō sic. i. ꝟba ſm se dicta. i. materialiter capta sunt nomina. Sed illa glosa non valet: q2 non est de intētiōe phi. Alio mō intelligitur sic ꝟba ſm se dicta. i. solitarie sumpta sunt similia noībus quo ad hoc: q2 recte sicut nomē solitarie sumptum nec significat vere nec false: sic etiā verbum solitarie positum nec significat vere nec false.

¶ Noīa ⁊ verba transposita idem significant. i. peri her.
¶ Illa auctoritas h3 duplicē sensum: vnus est ꝙ solum ꝓpter transpositionē terforū sc3 nominū ⁊ verborꝫ: noīa ⁊ ꝟba non amittunt suas sigtiones essentiales: licet bene accidētales: vt est casus numer9 ⁊ figura. Sed aliu3 sensum h3 ꝙ ꝓpter trāspōnē nominū ⁊ ꝟborū nō mutatur veritas ꝓpōnū ⁊ si ille sensus debet esse verus tunc oportet ꝙ seruentur ꝓprietates logicales: sc3 ampliatio ⁊ restrictio.

¶ Non ens non intelligitur. primo physicorum.
¶ Intelligitur nō ens nō intelligitur ꝑ ꝓpōnes cathegoricas affirmatiuas sz cū hoc tñ bñ stat ꝙ nō ens intelligitur ꝑ ꝓpōes cathegoricas negatiuas.

¶ Non est necesse res ferre ad disputationē siue ad disputandum. Sed vtimur terminis ꝓ rebus. i. elenchorum.
¶ Intelligitur de necessitate conditionata: vt si deberemus disputare de rebus per noīa et non possemus res portare ad disputationem tunc oporteret nos vti nominibus ꝓ rebus.

¶ Nullum violentum est perpetuum. primo celi.
¶ Intelligitur quod pure violentatur modo q̄uis aīa intellectiua violentetur in separatione a corpore: tamē illa nō est pura violentatio: sed est natu-

talis. qz ꝓpter indispositionē materie. quia sicut aīa cōiungit materie naturaliter bene predisposite. ita etiā aīa separatur naturaliter a materia. Ipsa existente indisposita.

¶ Numerus ē infinitus p appositionē vnitatū. iij. physi.

¶ Intelligit ꝙ numerus pōt mltiplicari in īfinitū p appositionē vnitatū.

¶ Natura ꝛ principium sunt subiectum sciētie naturalis commentator tertio physi.

¶ Et sic sequeret ꝙ ens mobile nō esset subiectū in libris physicorū. intelligit ꝙ scientia libri physicorū est de natura ꝛ principijs naturalibꝰ. cuz hoc tamē stat ꝙ ens mobile sit subiectū in illo libro.

¶ Natura dirigitur ab agente infallibili. commentator xij. metaphysi.

¶ Uerū est de natura q̄ est forma. nō oportet aūt de natura q̄ nō est forma.

¶ Nihil est in itellectu quin prius fuit in sensu primo physicorum ꝛ secundo de anima.

¶ Intelligit ꝙ nō oportet ꝙ oīs cognitio intellectiua alicuiꝰ rei depēdet a sensu eiusdē. qz de deo ꝛ intelligentijs habemꝰ noticiā intellectiuā. et tū non sunt sensibiles. sed sufficit ꝙ oīs nr̄a cognitio intellectiua dependet a sensu illius vel alterius rei. modo dicit ꝙ noticia intellectiua de deo causata est ex noticia effectuū a nobis: per quā deuenit immediate ī cognitionē substantiarū insensibiliū ꝛ hoc a posteriori.

¶ Natura non deficit in necessarijs nec superabundat in superfluis. secūdo de aīa ꝛ primo celi.

¶ Intelligit quo ad perfectionē finis vltimate tūc natura non deficit nec supabundat. licet bene deficit ꝛ supabundat in determinatione certi finis ꝛ determinati particularis. Alio modo intelligit ꝙ natura nec deficit nec superabundat quo ad totā speciē. licet bene ad partem speciei id est indiuidui. vel dicat ꝙ natura nō deficit nec supabundat in pluribus sed bene aliquādo in paucis. Itē ponendo causam ꝙ tantū tres essent hoīes in mūdo ꝛ nati omnes in manibus seorsum cum sex digitis. ibi est monstrū ꝛ tūc soluendo ꝙ tota humanitas sit monstrū. Et dicendū est authoritatis solutionem quo ad totam speciem humanam actualem vel potentialē. ꝛ vltra potest dici tota humanitas monstrū actualiter. non aūt potētialiter.

¶ Nullū cōplexū est diffinibile. ij. topicorum.

¶ Intelligit tanꝙ diffinibile propinquū. licet bene vt remotū. Et ratio est quia omne diffinibile propinquum debet esse species. Sed nullū cōplexuz est species. ergo nullū complexū est diffinibile.

¶ Nihil scitur demōstratiue ꝛ diffinitiue. ij. posteriorū.

¶ Intelligit ſm se totū ꝛ adequate. cū hoc tamen stat ꝙ vna scientia sciat ſm vnam partem forme demōstratiue. ꝛ ꝙ ſm aliā partē diffinit. Alio mō sic nihil scit demonstratiue. scz vt noticia simplicis ꝯclusiōis cū hoc tū stat ꝙ aggregatū sciētie vnius scibilis sciat demōstratiue ꝛ diffinitiue.

¶ Nō ꝯtingit sensū decipi circa ꝓpriū obiectū. ij. de aīa.

¶ Intelligitur dūmodo est bñ dispositū ⁊ dūmodo obiectū est bñ appropriatū quia si nō tunc ꝯtingit sensum decipi vt sensus visus circa carbonē q̄ apparet rubeus. ⁊ tñ est niger. hoc est ex eo ꝙ mediū non est bñ dispositū. qꝛ nigrum visum per lucidū apparet esse rubeuꝫ. sic nigredo carbonis iudicatur ꝑ lucidū ignis. ergo apparet esse rubeus. sic etiā de vaporibus sensuuꝫ visus de mane per lucem solis.

¶ Nihil ꝓhibet quandā animā separare. Sic ꝙ nullius corporis est actus. ij. de anima.

¶ Intelligitur per inherentiā: est tñ actus per assistentiā siue ꝑ appropriatā existentiā. ⁊ ita est de intelligentia q̄ est de aīa celi. Uel ſm alios sic intelligitur nihil ꝓhibet animā eductā de potentia materie separari. et ita est de potentia intellectiua vel forma humana.

¶ Nullum diuisibile est in indiuisibili. secūdo celi.

¶ Et dicitur ibidē ꝙ ex nō quāto fit quātū. ⁊ sic sequeretur ꝙ nulla scientia esset in anima. ex quo scientia est diuisibilis. Respōdetur ꝙ verū est ꝙ nullum diuisibile qđ est quantū ꝯtinuū ⁊ extēsum est in indiuisibili. cuꝫ hoc tamen stat ꝙ diuisibile qđ est q̄tū discretū rōne intēsionis vel aggregationis ē in indiuisibili vt sciētia q̄ est diuisibilis est in aīa q̄ est indiuisibilis.

¶ Nulla bona diffinitio debet dari per opposita. vt elicitur ex quinto topicorum.

¶ Ratio qꝛ mēbra bone diffinitiōis debēt cōpetere diffinito. Sed opposita nō cōueniūt vni ⁊ eidē. Respōdetur ꝙ illa authoritas intelligitur de diffinitione quidditatiua. sic ꝙ illa nō debet dari per opposita copulatiue cū hoc tamen stat ꝙ aliqua potest dari per opposita disiunctiue.

¶ Nulla potentia stabit eternaliter frustra. primo celi.

¶ Uerū est si fuerit potentia obiectiua nō aūt subiectiua. vel verū est si fuerit potentia ad corruptionē sui ⁊ non alterius.

¶ Naturalia sunt generabilia ⁊ corruptibilia. p̄mo physicorū ⁊ septimo metaphysice.

¶ Et sic videtur ꝙ materia p̄ma sit magis corruptibilis. qꝛ ꝓpter qđ vnūquodq̨ tale ⁊ ip̄m magis tale. sed ꝓpter materiā vnūquodq̨ est corruptibile ergo ⁊c. Respōdetur verū est si vtrūq̨ fuerit tale formaliter ⁊ vnū fuerit cā efficiens vel finalis alterius. modo materia prima nō est corruptibilis formaliter sed tantū subiectiue.

¶ Natura solū intēdit speciē ⁊ nō indiuiduū. ꝑ Auicēnā

¶ Respōdetur ꝙ natura nō indiuidualis est. Sed cōis sicut celū solū intendit speciē semꝑ cōtinuare ⁊ nō indiuiduū. Alio modo dicatur ꝙ auicenna in ista parte nō tenetur ex quo etiā ponit vniuersalia realia.

¶ Nihil scitur nisi verū. primo posteriorum.

¶ Uerum est tanq̄ diffinibile propinquum.

¶ Necesse ē excellēs diuidi ī illud quod excellit. vij. phy.

¶ Intelligitur de excellenti q̄tificatiuo. nō de⁹ non est excellēs q̄tificatiuū

¶ Nullum indiuisibile mouetur. vi. physi.
¶ Intelligitur per se et circumscriptiue de loco ad locum.

¶ Nulla forma est composita ex partibus diuersarum rationum. per auctorem sex principiorum.
¶ Rñdet q loqtur de forma simplici et nõ composita nec est incõueniẽs q aliq forma sit composita ex ptib⁹ diuersarum rõnũ sicut forma aggregata ex pluribus.

¶ Nescimus verum sine causa. ij. metaphysi.
¶ Intelligit a priori. Uel sic nescimus verũ pp̄ter quid sine cã: cũ hoc tamen stat q scimus verum qd est.

¶ Non solum regratiandum est his q bene dixerunt: sed etiam his qui male dixerunt. ibidem. et. ij. elenchorum.
¶ Et sic videt q notitia erronea etiã sit bona hñti eã qd tñ est falsum et cõtra Aristotelẽ primo de aĩa. Ubi dicit q qlibet notitia in se nõ est bona simplr. Rñdet q illa auctoritas nõ est intelligẽda q de erroib⁹ ãtiquorum eẽt regratiandũ. Sed p labore et de inquisitiõe veritatis est eis regratiandum. et ergo subdit ibidẽ q isti antiqui sensum necessariũ exercitati sunt.

¶ Nullũ ens p accidẽs est cõcretũ in gñe. vij. metaphy.
¶ Et sic seqret q termini cõcreti nõ essent ponibiles in predicamẽto. Sciendũ q termini concreti: vno mõ cõsideraẽt q nõ hñt respectũ ad significatũ suppositale vel matiale: sed solũ fm rõnẽ fcati formalis. et sic ẽ ens p accñs et vnũ purũ nomẽ adiectiuũ. Alio mõ csideratur quo ad ambo scz q ad rõnem significati formalis et q ad rõnẽ sui fcati suppositalẽ: et sic adhuc duplr cside rat. Uno mõ respectu suorum inferiorum: et sic concretũ est in gñe et non est ens per accñs. Alio mõ csiderat in ordine q ad terios subales: et sic iterum est ens p accñs: qr de subiectis siue substantijs concreta sunt verificabilia accidentaliter. tũc negatur auctoritas. sed concedit ad hũc sensum: nullũ ens per accidens est in gñe respectu quorum est ens per accidens.

¶ Natura solum habet determinare de illo qd est corpus vel passio corporis. iij. de anima.
¶ Et videt q nõ hz deteriare de intellectu hũano. Rñdet q naturalis solum hz deteriare de corpe vel de passiõe corporis vel de eo qd depẽdet a corpore in opatione ei⁹. et ens etiam habet determinari de intellectu.

¶ Nigredo est priuatio albedinis. in de sensu et sensato.
¶ Rñdet q vult tm̃ q nigredo est qualitas minus pfecta q̃ albedo.

¶ Necesse est in demõstratiõe credulitatẽ vel scientiã p̃missarũ esse maioris credulitatis scie sue cclusiõis. i. pos.
¶ Intelligit de necessitate cõditionata vt si debet haberi credulitas vel scientia cclusionis p p̃missas tũc p̃misse debent esse magis scite. et declaratur p illud principiũ: pp̄ter qd vnũquodq tale et ipsum magis.

¶ Nihil dat qd non habet. primo elenchorum.
¶ Intelligit formaliter vel virtualiter. Si primum tunc est verum simplr si scdm simpliciter est negandum.

¶ Non reminiscimur post mortem .iij. de anima.
¶ Intelligitur de reminiscentia pprie dicta eo q illa reminiscentia est dicta sensibilis et fm illam requiritur organum corporale qd in morte corrumpitur corrupto ipso corpore.
¶ Notitia primorum principiorum est nobis innata .i. poste.
¶ Et videt q intellectus in principio sue creationis nō habet se tanq tabula rasa in quo nihil est depictū qd est ptra Aristotelem .iij. de anima. Rñdetur q sic intelligitur q aīa naturaliter est inclinata ad assentiendū notitia primis principijs: quia talis est euidens et manifesta.
¶ Nec materia ē nec forma ē: sz totū ppositū .vij. meta.
¶ Intelligit q materia non est nec forma suppositaliter sz totū cōpositū.
¶ Nihil scitur sine causa .x. metaphysi.
¶ Intelligit a priori et cognitiōe pfecta: cognitiōe autē imperfecta et a posteriori aliquid bñ scit sine cā vt puta deus: qz eternū nō est aliqua cā: vt patet .viij. physi. et ex qua sit pducta tanq ex materia: cū hoc tñ stat q eterni est aliqua causa a posteriori: qz cognoscimus deum per suos effectus.
¶ Nihil videtur nisi color .iij. de anima.
¶ Intelligitur sic capiendo ly color concretiue p colorato: vt sit sensus nihil videtur nisi coloratum. nihil nullo modo se habens.
¶ Nec vox nec littera docet: sed ver⁹ est doctor qui mentem illuminat. per pmentatorem. primo physi.
¶ Intelligitur q ipsa vox non docet principaliter: sed solum instrumētaliter. Sed ille verus doctor est scz intellectus principalis qui mentem illuminat. et etiam potest exponi de spiritu sancto siue de eius gratia.
¶ Numerus potentiarum multiplicatur in infinitum fm numerū specierum generabilium. p pmētatorē .i. physi.
¶ Intelligit de potentijs instrumentalibus passiuis siue qlificatiuis dispositiōibus materie disponētib⁹ materiā p forme introductionem.
¶ Nihil est qd pōt rōnē entis subterfugere. p Auicennā.
¶ Intelligitur q nihil est quin continetur sub ly ens de quo non sit verum dicere q sit ens.
¶ Nihil habetur de tempore nisi nunc .v. physi.
¶ Intelligitur q nullū tps est totum sil et adequate nisi nūc: adhuc tñ stat q pñs sit diuisibile exñs in aliquo mobili quod mouetur.
¶ Numerus est diuisibilis in suas vnitates idiuisibiles. quinto physicorum.
¶ Dicitur q vult vnitas non est diuisibilis in duas partes quarum quelibet pars sit tota et talis habet se taliter sicut vnitas.
¶ Nullū bonū honestū recipit additionem. p Senecam
¶ Intelligitur q nullum bonum honestum recipit additionē per admixtionē sui cōtrarij scz malitie: cū hoc tñ stat q capiat additionē gradus ad gradus eiusdem speciei.

Dicta egregia philoso.

¶ Nihil est quod generatur. v. physicorum.
